




2b. 15







MAGNIFICVS  
ACADEMIAE FRANCO-  
FURTANÆ

RECTOR

GREGORIUS  
FRANCVS, ARTIVM

ET PHILOSOPHIAE MAGISTER,  
ac summi in Theologiâ honoris  
Candidatus, &c.

Sollemne funus

*Quod*

a. d. VIII. Iduum Aprilis

Reverendo, Excellentissimo & Clarif-  
simo VIRO

DN. IOANNI HEIDENRICHIO,  
SS. THEOLOGIAE DOCTORI  
& Professori P.

Parenti suo optimo, desideratissimo

*Honorificè ducturi sunt Liberi  
superstites*

Omnibus reipubl. literariæ civibus  
indicit.

---

Typis exscriptit Nicolaus Voltzius  
Anno Christi

CIO. IO. CXVII.



*Handwritten notes:*  
1131. 15  
158

KÖN. PR. ER.  
UNIVERS.  
ZVHALLE





Illius Christianæ laboribus, eme-  
 ritis stipendijs, ab Imperatore caelesti  
 solutus, & ex mortali hac vitâ in im-  
 mortalem translatus est Venerandus  
 Senex, Dn. JOANNES HEIDEN-  
 RICHIUS, Doctor & Professor Theo-  
 logus, Collega noster, dum vixit, ho-  
 norandus. Cui præ multis alijs ordinis  
 sacri hominibus ista hisce in terris ob-  
 tigit felicitas: ut & amplissimis in scho-  
 lis & Ecclesiâ Christi perfunctus sit honoribus: & vitam ad an-  
 num, non quinquagesimum sextum, quem heroicum vulgò; nec  
 ad tertium & sexagesimū, quem seniorum o communem  
 κλιμακτηρα Augustus dixit; nec ad septuagimū, quo perio-  
 dum vitæ humanæ color apud Herodotū circumseripsit; nec ad  
 septuagesimum, secundum P. P. Majori alijsq; ultimum  
 fuisse novimus; sed ad septuagesimum quintum produxerit.  
 Quod divinæ clementiæ & bonæ acceptum ferendum esse ta-  
 met si dubitare nemo potest: qui Deus ad altissimam dignitatis  
 gradum, quos velit, perducere, & prioris vitæ usum pijs præmij  
 loco largiri ex sacris literis patet. nabet non parum tamen  
 utramq; ad rem momenti & temperantiam defuncti Senis, & per-  
 tinax studium, à primis annis in c bonarum disciplinarum ge-  
 nere collocatum, adtulisse est. Nam qui cibi & po-  
 tus continentiores sunt, nec satietate nunquam comedunt vel  
 bibunt, eos longioris ævi esse Xenophili Mosci docet exemplum,  
 & Medicorum Principis Galeni: quorum illum propter diligen-  
 tem corporis sui curam & cognitionem, quâ solâ valetudinem  
 constare dixit Cicero & quinq; annos sine ullo corporis  
 incommodo vixisse Plinius, m propter temperantiam centum  
 & quadraginta annos vivendo adtigisse Suidas refert. Jam nec  
 illud negari potest, HONORES esse dotes meritorū: & ibi esse præ-  
 mia honoris, ubi sint merita virtutis: quippe, ut Bernhardus loqui-  
 tur, frustra ad celsitudinem nititur gloriæ, qui prius nõ claruit vir-  
 tute: perversiq; planè est animi, ante quærere gloriam, quàm ex-  
 exercere virtutem: & velle coronari, qui legitimè non certaverit.

Ann. 56.  
 63.  
 70.  
 72.

Quem-

Quemadmodum enim nullus in arbore fructus esse in autumnopotest: quæ in folia & flores verno tempore se non induit: ita honorem in senectute, &, quæ hujus apex est, auctoritatem abesse oportet: ubi in juventutis flore labor disciplinæ non præcesserit. Quâ in re non defuisse sibi defunctum nostrum Collegam ex curriculo vitæ ejus, quod max. partem in literas ipse retulit, & memoriæ illius ad posteros propagandæ causâ repetendum duximus, liquidò apparebit. Annus agebatur à Christo nato, ultra decimum quintum seculum quadragesimus secundus: is ipse, quo Ambsdorffius à D. LUTHERO Episcopus Numburgi ordinabatur & inaugurabatur: cum primam hujus vitæ lucem *ο μακαρίτης* Leobergæ Silesiorum, ad d. XI. Kal. Maij, qui tum erat feria sexta post Dominicam in albis, adspexit. Nasci ipsi contigit non obscuro aut sordido loco, sed ex stirpe honesta & vetusta: Patre LAURENTIO HEIDENRICHIO, viro reverendo & clarissimo, Magistro, ut illo ævo dicebantur, nostro: qui & gradu in Philosophia summo Lipsiæ auctus fuerat: Matre ELISABETHA ENGLERIANA, ex primaria inter Zittavienses familiâ natâ: quam Parens quadragenario jam major, exemplo Lutheti, cujus ministerio repurgatam doctrinam, rejectâ Pontificia superstitione, amplexus fuerat, uxorem sibi delegerat. Pueritiæ annos Zittaviæ, in celebri Lusatiæ urbe, quò Parens post Leobergensis & Gryphebergensis Ecclesiarum rectionem legitimè vocatus se contulerat, exegit: rectamq; educationem, quam primam, secundam, & tertiam vitæ partem esse Sapientes dicunt, nactus est. Cum enim indolem egregiam primis statim annis proderet; &, quantæ provectioris ætatis fruges futuræ essent, quasi in herba ostenderet: quod ex themate quoq; ejus natalitio, si qua illi habenda fides, haud contemnendi Astrologi observarant & prædixerant: non in patriam modò scholam tempestivè deductus est: sed primis literarum fundamentis probè jactis, parente adhuc superstite, ex Zittaviense schola in Goldbergensem; mox cum urbs illa incendio consumpta, & schola peste dissipata, atq; Lignicum translata esset: Rectorum etiam ille Rector Trocendorffius è morbo vitam clausisset, in Suidnicensem migravit. Illinc anno ætatis septimo & decimo, posteaquam Patre jam orbatus erat: qui  
anno



anno Christi M. D. LVII., ætatis XXIII. post amplissimas XLV. annorum, & quod excurrit, functiones sacras, & varia cum Pontificijs ac Suencfeldianis certamina, decesserat: matrique præcæteris liberis hunc filium diligentissimè commendarat, ductore fratre ESAIA HEIDENRICHIO Doctore Theologo, & tum quidem Ecclesiæ Suidniciensis, postea verò Vratislaviensis Pastore primario, in nostram hanc academiam venit: anno Christi clo. lxx. circa festum Joannis Baptistæ: & in album Studiosorum, Rectore illustri & generoso Dn. GEORGIO GANS à Pudlitz, &c. Prorectore CHRISTOPHORO CORNERO, tum temporis Philosophiæ Magistro & Professore Eloquentiæ referri meruit. Hic verò noster non otium illiberale sectari, non honestas fæminas affectari, non studiorum socios verbis insectari, non mysteria in poculis scrutari: sed totum sese in literas abdere; tanto successu: ut anno insequente 1559, ætatis 17., à MATTHÆO HOSTO, Viro CL. primum, qui à bacca lauri nomen habet; mox anno Christi 1562, ætatis 20. alterum, eumque summum in artibus & Philosophia gradum, à CASPARE HOFMANNO, tunc Philosophiæ, post Medicinæ Doctore, & Archiatro Electorali, consequeretur. Isto honore auctus cum signum scientis esse didicisset, posse docere: maturius cæpit tyrocinia, ut sic dixerim, sua deponere in duabus scholis, Francofurtensi hac & Grunebergensi: in quibus quadriennij spacio ita sese gessit: ut & ad hominum famam proflueret: & ad sublimiores dignitates viam sibi sterneret: quas etiam cum bono DEO obtinuit. Ecce enim anno Christi 1569, ætatis 27., cum Magister artium adhuc esset, & paulò ante cum uxore esse cæpisset, ab illustrissimo Lignicensium & Bregensium Duce GEORGIO, inclytæ recordationis Principe, ad gubernationem & Rectoratum Illustris Gymnasii Bregæi pronuper erecti, liberali stipendio evocabatur. Illinc post quadriennium cum bonâ Principis gratiâ dimissus, in academiam nostram ad pertexendam benè cœptâ studij Theologici (Medico n., cui & ipsi deditus antea fuerat, nuncium jam remiserat) telam redijt. Reversus huc, posteaquam & sanctam linguam privatim professus erat: & progressuum in literis, quâ secularibus, quâ sacris, suorum egregium specimen,

A 3

cum

cum disputationibus aliquot, tum eruditissimis concionibus, in  
majore templo ad populum habitis, ediderat: communi vene-  
randi ordinis assensu, omniumq; applausu SS. Theologiæ Doctor  
ab ANDREA MUSCULO Superadendente anno Christi 1573.  
ætatis 31. renunciatus: & paulò post, Senatu academico eligen-  
te, JOANNE-GEORGIO illustrissimæ recordationis Principe  
Electore confirmante, in Professorum Theologiæ numerum alle-  
ctus est. Sed quia virtus hoc habet, ut diu latere in occulto non  
possit: dum Theologus hic novus munus suum ἐν τῷ διδάσκειν,  
ἐλέγχειν ἢ ἐρροτίζεσθαι, secundum Apostoli præceptum, studiosè  
explet: ex longinquis huc oris, ex ipsa usque Moraviâ veniunt  
Iglaviensis reipubl. Oratores: & qui modò ex Magistro Doctor,  
ex Ducalis scholæ Rectore Professor Electoralis academiæ factus  
fuerat, eum sibi Pastorem primarium, atq; adeò Inspectorem seu  
Episcopum deposcunt. Quid faceret? Acceptus hic erat Colle-  
gis: gratus civibus: & apud Auditores, qui supplicibus quoq; li-  
teris à Senatu academico, ne dimittatur, petunt, gratiosus: obse-  
rationibus tamen Oratorum multis, & studio propagandæ do-  
ctrinæ cœlestis permotus, tandem Ecclesiam illam regendam susci-  
pit: ipsosq; adeò annos duodecim, inter varias persecutiones &  
acerrimas contentiones cum adversarijs, regit. Quarum cum  
tandem pertæsus esset, & abitum ab Iglaviensibus moliretur: com-  
modum accidit eo ipso tempore: ut Brunsvicenses in locum de-  
functi MARTINI CHEMNICII, Theologi celeberrimi, alium sibi  
quæsitū irent Pastorem. Præ multis alijs D. HEIDENRICHUS  
illis placet: qui ægrè quidem, cum honorifico tamen Senatus te-  
stimonio, Iglaviâ dimissus Brunsvigam ingreditur: & suggestum,  
quod CHEMNICIUS olim tenuerat, occupat: ex eoq; magno zelo &  
conatu populum sibi commissū docet: donec à JULIO, Brunsvi-  
censium & Luneburgensium Duce nunquam satis laudato, Hel-  
mæstadium evocaretur; & in demortui TIL EMANNI HESHUSII  
locum substitueretur. Quem ubi decem annos cum laude & di-  
scientium fructu tueri satégisset: tandem in academiam nostram  
tanquam blandam matrem, quæ ipsum juvenem foverat, & hono-  
ribus auxerat, anno ab hinc decimo nono, Christi M. D. XCVIII.  
q. postliminio redijt: & non multò post D. BARTHOLOMÆO  
RADT-

**RADTMANNO**, clariss. memoriæ viro, ex peste mortuo, in Professio-  
ne Theologica successit: quam ad ultimum usq; spiritum, quan-  
tum per ætatem & valetudinem licuit, ornare non destitit. De-  
scripsimus tenui stilo & filo studia & vocationes **D. HEIDEN-  
RICHII**, easq; celebres: certamina si describere vellemus, quæ  
vel Bregæ in Silesia cum æmulis, vel Iglavia in Moravia cum Pon-  
tificijs & Waldensibus, viris cæteroqui pijs, vel in Germania cum  
Heterodoxis, qui adorationem sacramenti, & ubiuitatem reple-  
tivam humanæ naturæ Christi etiam extra Ecclesiam, in & apud  
omnes creaturas, aliaq; portentosa dogmata, contra sacras literas,  
veterisque & Orthodoxæ Ecclesiæ finxerunt consensum, ipsi fue-  
runt: nimium excresceret hæc scriptio: quæ tamen intra consue-  
tos terminos meritò se continet. Relinquenda igitur & ista: &  
persecutiones, quas magno animo sustinuit: & honores sum-  
mi, quos in utraq; academia sic gessit, ut virum se ostenderit: &  
scripta, quæ in publicum dedit: quibus progressus in omni disci-  
plinarû genere suos, etiam in Poësi, toti orbi testatos fecit, & po-  
steritati reliquit. Ad conjugium ejus veniendum est: quod cum  
**MARIA BILOVIA**, **M. STEPHANI BILOVII**, paullò ante  
Curlandiæ Superadtendentis F., virgine honestissima A. C. 1568  
in die omnium Sanctorum iniit. In eo & concorditer ac jucundè  
cum uxore sua vixit: & decem liberos suscepit: sex masculos: quo-  
rum tres natu maximi primâ ætate rapti; reliqui tres **GODOFRE-  
DUS** Haynoviæ in Misnia medicinam faciens; **GEDEON** qui  
cum Parente fuit, & nondum cum uxore est; **ABDIAS** Crosnæ  
civis, adhuc superstites sunt: quatuor filias, quæ præter **ELISA-  
BETHAM** natu minimam, nuperâ peste hîc extinctam, hodieq;  
superant: nempe **CHRISTINA**, **JOANNI SCHENCKIO**, viro  
rerum œconomicarum apprimè perito; **MARIA**, **JACOBO BUR-  
CHARDO** Senatori Lumnicensi; **CONSTANTIA** **JOANNI-GEOR-  
GIO ZEUSNERO**, juris utriusq; Studiofo, nuptæ. Mores suos ita  
formaverat Senex noster, ut comitatem gravitate condiret: & in  
usu ac societate vitæ liberalis, affabilis & communis esset: sæpèq;  
cum Catone tetrico supercilium poneret, & frontem serenatam  
ostenderet. Cumq; & hominem se esse non ignoraret: & humani  
nihil à se alienum putaret: facilis erat ad ignoscendum alijs, qui se  
fateban-

fatebantur esse: & cum omnib. hominib. tranquillè, cum vicinis concorditer vivebat: ærumnas & curas cum uxore, dum in vivis erat, partiebatur: eâ verò A. C. 1603. extinctâ, solus patienter ferebat: & frugalissimè ac temperantissimè domi suæ vivebat. Quò factum est, ut magno illo parsimonix vectigali opes non contemnendas acquisiverit: liberisq; suis patrimonium satis amplum reliquerit: & ἀνοσίτητος valetudinem suam, cujus diligentem semper curam habebat, conservarit: & vitam ad annos, ut dictum, 75., paucis diebus exceptis, protulerit. Non fuit ipsi oneri senectus: quam Poëta quidam q. aram esse scribit, ad quam mala omnia confugiant: nec multum loci apud ipsum morbis fuit relictum: circa annum tamen ætatis 70., præter frequentem catarrhum, nephriticis subinde affligebatur doloribus, & calculo: primitus quidem renum: deinde verò etiam vesicæ: tandemque hecticâ, quam μαρμαρώδη Medici vocant: quo etiam lento morbo contabuit: & ex hac vita, quam lenitate & patientia sua jucundior sibi fecerat, die ab hinc septimo, qui erat mensis Martij ultimus, animo tranquillo, sine motu & metu emigravit. Exuvias corporis ejus superstites Liberi, hodierno die, sollempni more, & Christiano ritu honorificè efferre cogitant. Vos quid cogitatis, Cives academix nobilissimi, ornatissimi? Equidem nullus dubito, vos ultro & sponte vestrà tam venerando Seni, tam præstanti & exercitato Theologo, tot scholarum Collegæ & Rectori, Ecclesiarum Pastori, academiarum Professori, Collegæ & Præceptor, vestri amantissimo, extremum persoluturos honorem: ut tamen id frequentes faciatis, amanter oro. Benè valete.

C. N.

Ja 666



ULB Halle 3  
002 177 021



A white rectangular library label with a barcode and identification numbers.


5b-700

Von 7

MC







EFFICVS  
 E FRANCO-  
 ANÆ  
 TOR  
 ORIUS  
 , ARTIVM  
 HIAE MAGISTER,  
 eologiâ honoris  
 atus, &c.  
 ne funus  
 od  
 luum Aprilis  
 lentissimo & Claris-  
 VIRO  
 EIDENRICHIO,  
 LAE DOCTORI  
 fessori P.  
 no, desideratissimo  
*Sturi sunt Liberi*  
*erstites*  
 bl. literariæ civibus  
 dicit.  
 Nicolaus Voltzius  
 o Christi  
 D. CXVII.